Quelle: https://manuscripta.at/?ID=377
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



3

BEATUS VIR QUI NON ABIIT IN CONSILIO IMPIORUM. Dominus noster Iesus Xpo id est homine dominico accipiendum est. Beatus uir qui non abiit in consilio impiorum. Sicut homo tantum qui uxori consensit deceptus a serpente ut dei precepta praeuaricaretur et in uia peccatorum non steterit quia uenia quidem in uia peccatorum nascendo sicut peccatores fuerunt non steterit quia non eum tenuit illecebra secularis et in cathedra pestilentiae non sedit. Nolunt regnum terrenum cum superbia. quia cathedra pestilentiae ideo recte intelligitur quia non fuit quisquam est. qui caritate amore dominandi et humana non appetat gloriam. Pestilentia est enim morbus latet puragat et omnes aut paene omnes inuoluens. quandoquidem accomodatum accipiatur cathedra pestilentiae perniciosa doctrina. cum sermo ut cancer serpit. Deinde considerandus est ordo uerborum. Abiit stetit sedit. Abiit enim ille. cum recessit a deo. Stetit cum delectatus est peccato. Sedit cum in superbia sua confirmatus redire non potuit non peccauit quia libatus quoque non abiit in consilio impiorum. nec in uia peccatorum stetit. nec in cathedra pestilentiae sedit. Sed in lege domini fuit uoluntas eius. et in lege eius meditabitur die ac nocte. Iusto lex posita non est ut dicit apostolus. Sed aliud est esse in lege. aliud sub lege. Qui est in lege secundum legem agit. Qui est sub lege. secundum legem agit. In lege quia liberi sunt. iste seruus. Deinde aliud est lex quae scribitur et imponitur seruiens. aliud lex quae mittitur conspicitur ab eo qui non indigent litteris. Meditabitur die ac nocte. aut sine intermissione. intelligendum est. aut die in leticia et nocte in tribulationibus. Dicit enim. abraha die meum uidit et gauisus est. et de tribulatione dicit. insuper et usque ad noctem in carpuerunt me tenebrae. et cum tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum. id est autem secundum ipsam sapientiam quae dignata est hominem suscipere ad salutem nostram. ut ipse homo sit lignum plantatum secus decursus aquarum. potest enim hoc intellectu accipi quod in alio psalmo dicit. Fluuium dei repletus est aquarum. aut secundum spiritum sanctum. secundum quem dicit ipse uos baptizabitur in spiritu sancto. et illud. qui sitit ueniat et bibat. et illud. si scires donum dei. et quis est qui dicit aquam petit petisses abeo. et dabit tibi aquam uiuam. in qui bibent non sitiet in aeternum. Sed efficitur in eo fons aquae saluantis in uitam aeternam. aut secundum decursus aquarum secundum populorum peccata. quia et aquae populi interpretantur in apokalipsi. et decursus non absurde intelligitur lapsus. quod pertinet ad delectum ligni quod illud. id est dominus noster de aquis decurrentibus. id est populis peccatorum habens eos in radices disciplinae suae fructum